dialis activa, se sola, solum est virtus incohata seu partialis.

Et quidem tam hæc quam virtus supernaturalis principii, ex quibus resultat adæquata virtus effectum supernaturalis producendi, dicuntur partiales, quatenus neutra se sola potest effectum producere, non autem, quatenus effectus et actio, de se indivisibiles divisibiliter oriantur a qualibet: a qualibet enim, per eandem individualem actionem totus effectus producitur.

Sciendum est 4°, quod elevatio actualis potentiæ, distinguitur realiter a potentia, quam res potest habere, quin actu elevetur: potentia enim, non est quæ elevat, sed quæ elevatur: unde constat 3a. Doctorum Thomistarum, potentiam obedientialem non esse qualitatem a Deo impressam naturæ ut ipsam elevet, sic enim esset qualitas elevat et proportionat: ergo non est quæ elevatur, et proportionatur, pro inde quæ non est potentia obedientialis.

Sciendum est 5°, de facto dari in natura potentiam obedientialem passivam effectuum supernaturalium, sumpta sit, hac potentia, pro capacitate intrinseca illos recipiendi: de facto enim, anima recipit gratiam, internos habitus fidei &a. quod non eveniret, nisi in natura daretur ea capacitas. Sciendum est 6°: dari etiam de facto potentiam obedientialem activam, ad aliquas entitates supernaturales: certum quippe est, intellectum elevari ad producendam visionem beatam, voluntatem ad actus caritatis &a.

Sciendum est 7°: quod huiusmodi potentia reperta in his causis naturalibus est virtus intrinseca naturalis, immediate productiva inadæquate effectus supernaturalis, quod constat ex Concilio Trident. Ses. 6a. can. 4°, docente: Voluntatem nostram, in conversione et operatione salutari cooperari gratiæ vocanti, et excitanti.

Insuper ratione, quia visio beata v.g. et est intrinsece vitalis, et est intrinsece supernaturalis; sed quia est intrinsece supernaturalis, oritur ut a virtute immediate productiva a principio supernaturali: ergo etiam oritur ut a virtute immediate productiva a principio vitali, quod est intellectus. — His statutis, præcipua celebris quæ in hac materia difficultas, est an, in qualibet entitate, detur potentia obedientialis activa ad producendum quemlibet effectum? Pro qua resolvenda sit.

## Sectio Va. an detur potentia obedientialis activa, in quolibet, ad quodlibet?

Debet in fronte huius controversiæ supponi, sive in nostra, sive in adversa sententia, creaturam a Deo elevandam, habituram virtutem innatam incoatam tamen, et inadæquatam productivam effectus, ad cuius productionem elevaretur. Ratio est, quia in hoc casu effectus oriretur immediate active, non solum a principio elevante, sed etiam a causa elevata, ut communiter supponitur; atqui effectus oriri immediate active a causa elevata, non stat quin hæc habeat virtutem intrinsecam saltem inadæquatam producendi active effectum, ut est certum: ergo.

Declaratur: principium elevans dareturne causæ elevabili, ut eam elevans ipsius virtutem compleret, in ordine ad producendum actu effectum: ergo in causa elevabili supponitur virtus intrinseca, saltem inadæquate productiva effectus; aliter enim, quomodo erit verum, virtutem causæ elevatæ compleri per virtutem causæ elevantis? Hinc præcipue constat, quam opportune rem penitus introspexit, notabat acutissimus D. Vazquius, qui duplicem sub uno titulo, quæstionem hic involvit.

Alia est autem quælibet entitas naturalis, habeat secum identificatam virtutem activam inadæquatam producendi quemcumque alium effectum sive naturalem, sive supernaturalem? Alia est autem statuto, quod in quavis entitate, ea virtus incoata reperiatur, possit ea entitas elevari a Deo ad productionem cuiuslibet alterius entitatis? 1a. quæstio ut patet est de facto; 2a de possibili, cuius decisio pendet ex resolutione 1æ.

Enim vero, si in qualibet entitate ea virtus inadæquata de facto adstruatur, dummodo ex alio capite (loquor cum adversariis) specialis aliqua difficultas, non appareat, non repugnat Deum, quamlibet entitatem posse elevare, et vel per se immediate, vel medio alio principio, sive naturali, sive supernaturale ex natura sua effectus, ita ut in actu 2do producat effectum quem continet; suam inadæquatam virtutem complere, ut in actu 2° producat effectum quem continet; quod e contrario, quisque dicet repugnare si in qualibet entitate desideretur prædicta virtus inadæquata.

Ex his duo apparent, 1º qd cardo totius quaestionis vertitur in eo qd detur, vel non detur de facto, in qualibet entitate ea virtus. 2º, qd qui negant potentiam obedientialem activam, non negant Deum de potentia absoluta posse elevare entitatem quamlibet ad producendum effectum, quem ipsa possit immediate, inadaequate producere, sed solum requirunt, in qualibet entitate esse inadaequatam virtutem ad quemlibet effectum: in quo sensu, qui certe genuinus est venit in praesenti, haec examinanda difficultas.

In qua adstruunt innumeri Doctores quos longo agmine refert et sequitur P. Olea lib. 2º philosophiae, disp. 108, sect. 1ª et cum ipsis alii recentiores tum praelo datis, tum manu scribentes. Negant Scotistae apud Poncium disp. 9ª q. 1ª, P. Vasquius 1ª parte, disp. 176, cap. 3º et alii etiam è Nostris, quos citat et eleganter sequitur P. Oviedo, Controv. 9. puncto 5º cum quibus et aliis Recentioribus

Dico: non datur potentia obedientialis activa in quolibet ad quodlibet. Probatur: absque potentia producendi, non est concedenda potentia producendi in qualibet entitate; sed habere virtutem inadaequatam producendi cuiuslibet effectus, est potentia producendi, ad quem potentia producendi datur non datur: ergo in qualibet entitate, non datur ea virtus inadaequata: ergo non datur praedicta potentia obedientialis: omnia constant praeter 2am partem minoris, quae tamen, ex solutione argumentorum fuse constabit.

Dices 1º ad hoc contra eos qui adstruentes potentiam obedientialem activam, negant accidenti virtutem inadaequatam producendi substantiam: per vos in accidenti, non datur virtus inadaequata productiva substantiae; sed accidens est, aliqua entitas, et substantia aliquis effectus: ergo, non in qualibet entitate datur virtus inadaequata productiva cuiuslibet effectus.

Vel è contrario: per vos in qualibet entitate datur virtus inadaequate productiva cuiuslibet effectus; sed accidens est aliqua entitas, et substantia aliquis effectus: ergo in accidenti datur virtus productiva inadaequate substantiae. Urgent certe contra: unde constat, qd utrumque

ex his sententiis tueri, et alterum negare, est nullo filo contra procedere; nec satisfacit ratione, in qualibet entitate poni virtutem inadaequatam obedientialem tamen, et elevabilem ab agente supernaturali, et hanc quidem poni etiam in accidenti respectu substantiae.

Non, inquam, satisfacit, quia hoc difficultatem, non diminuit, nam licet ea virtus dicatur obedientialis, quia connotat agens supernaturale; et elevabilis, quia nisi elevetur nequit adaequate effectum producere: tamen, haec eadem virtus, quae obediret et elevaretur est substantialiter adaequate naturalis contra adversarios; sed hanc virtutem, licet inadaequate productivam, substantialiter adaequate naturalem, negant ipsi in accidenti respectu substantiae: ergo sua pace inconsequenter procedunt.

Dices 2º: non in ligno v.g. datur virtus inadaequate naturalis productiva ignis, lignum in contactu ignis, naturaliter produceret ignem: ergo potentia ligni ad producendum ignem, non est obedientialis. Probatur consequentia: virtus naturalis adaequata, est naturalis et completa ad effectum naturalem quem continet; illum naturaliter producit; et virtus inadaequata naturalis ligni ad producendum ignem, cum eadem, virtus naturalis adaequata ad producendum ignem quem continet: ergo.

Si dicatur, non posse lignum, adhuc in contactu ignis, ignem naturaliter producere, quia eius virtus est obedientialis, instauratur difficultas facta initio contra hanc, et ulterius contra est: quia si posito contactu ligni et ignis, effectus continetur adaequate intra vires naturae eorum naturaliter non produceretur? Praeterea, tam substantialiter naturalis est v.g. virtus inadaequata caloris ad producendum ignem contra id defendentes, quae substantialiter naturalis est virtus ligni ad producendum ignem; sed virtus inadaequata caloris in contactu ignis, naturaliter producit ignem: ergo pariter.

Si ulterius dicatur, tale contactum naturaliter fieri, non posse, propterea quod effectus supernaturaliter fore producendus contra est manifeste: ergo etiam contactus naturaliter caloris, et ignis, naturaliter fieri, non potest, vel reddatur disparitas: tam esse, naturalis, est substantialiter virtus inadaequata, quae alia, et ab aliunde ignis sit causa adaequata, productiva ignis, potest quamlibet hanc virtutem inadaequatam complere.

Aliis raobus, possent hæc illustrari, eas tamen, brevitatis causa omitto: fa-
cere tamen non possum, quin adverto, nos hic, neque negare potentiam obedientia-
lem activam, in omni entite, neque affirmare impossibile esse, entitatem quæ haberet
incoatam virtutem ad quemlibet effectum.

## Subceô Vnica, adversaorum impetus, reprimuntur.

Ob. 1º: Deo concedendum est summum dominium in creaturas, ut his possit pro
suo libito uti, et in creaturis, ponenda est summa subiectio erga Deum;
sed si non detur potentia obedientialis, ad quoscumque effectus producendos, neque
dabitur in Deo, summum dominium, nec in creaturis, summa subiectio,
tunc esse, non poterit, pro suo nuto creaturis uti, ad quoscumque effectus
voluerit: ergo.

Cf., ad summam perfectionem omnipotentiæ Dei, atinet, quod possit pro suo
libito uti, quacumque creatura etiam inepta, ut instrumento ad quos-
cumque effectus, imo quo vilius, ineptius fuerit instrumentum ad ope-
ra perfectiora, magis commendatur omnipotentia: ad modum quo, magis commen-
datur pictoris peritia si quovis rudi, et basto penicilo seque bene
ac fabrefacto et parato imaginem depingat: ergo potentia obedientialis commendat
magis &a.

Ad argumentum distinguo maiorem: Deo concedendum est summum do-
minium possibile, concedo; in creaturis ponenda est summa subiectio possibilis
Deo; summum dominium quimericum, et summa subiectio quimerica
nego; eadem solutione distinguenda est minor, quæ non, probatur per rationem inclusa,
licet vera sit in sensu quæsito: dominium quo Deus posset uti
creaturis de facto existentibus ad producendos quoscumque effectus,
quorum virtutem incohatam, ipsi non habent est omnino quimericum.

Sicut
esset dominium quo Deus uteretur gratia habituali ad constituendum hominem
formaliter nigrum, et nigredine ad constituendum hominem formaliter sanctum: unde etiam appa-
ret quimericam esse subiectionem quam in creaturis statuunt adversarii.
Ad confirmationem dato argumentum, si loquatur de creatura ut instrumento, ha-
bente virtutem inchoatam ad effectum: aliter esse, est ut probat ipsum
exemplum oppositum.

Peritia pictoris, commendatur magis, eo quod utatur quovis penicilo
licet rudi et basto; non quia tunc non utatur instrumento apto et
nato ad pingendum, sed quia tale instrumentum, ut pote rude et bastum, non
est adeo proportionatum, ac esset penicilus paratum: quis enim dicat
magis commendari peritiam pictoris, eo quod loco penicilii, utatur substantia
Angeli ad pingendum? Similiter omnipotentia Dei commendabitur magis
si ad quoscumque effectus utatur qualibet creatura ut instrumento haben-
ti aliqualem virtutem et proportionem ad illos; non vero si nullam virtutem et
proportionem habeat.

Ob. 2º: voluntas potest elevari ad producendum actum
supernaturalem charitatis, intellectus ad visionem beatam producendam &a: ergo quæli-
bet alia entitas naturalis, poterit elevari, ad quemcumque effectum supernatura-
lem producendum. 2º: nulla est contradictio, in eo quod Deus elevet, quam-
cumque creaturam de facto existentem ad quemcumque effectum producendum: ergo.
3º: in omni creatura datur potentia obedientialis passiva ad recipiendum quascumque
formas: ergo etiam potentia obedientialis activa ad producendos quoscumque effectus.

Ad 1um nego consequentiam, discrimen constat ex dictis ad hos pauperes sec. 2a in
responsione ad argumenta: quoties ergo, non detur formatum, uti re vera datur
in intellectu et similibus, non debemus concedere, cuilibet entitati vir-
tutem inchoatam ad quemcumque effectum: hinc ad 2um nego antecedens: contra-
dictio stat, in eo quod ea creatura, haberet et non haberet virtutem in-
cohatam: eam haberet, nam aliter Deus non posset eam elevare; eam non ha-
beret, quia nullum est formatum ut ei concedatur.

Ad 3um dato antecedente, nego consequentiam;
discrimen est, quod potentia passiva ut pote quæ solum patitur, nihil vir-
tutis impendit in recipiendo; unde non est perfectio positiva, sed mera
capacitas: potentia vero obedientialis activa, phisice effectum produceret: unde
in sui productione impenderet suam virtutem, quæ positiva perfectio est.

Instabis
1º: supernaturalitas visionis, est improportionata animæ; sed supernaturalitas,
non est vitalitas: ergo vitalitas est improportionata animæ; sed nihilomi-
nus producitur ab ea: ergo. 2º: causa quæ potest producere illum effectum

cuius efectus adequat; sed quæris creatura coniuncta cum Deo adequat efectus cuiuscumque efectus: ergo. 3º: probabilissimum est, potuisse Verbum Divinum assumere quamlibet creaturam, imo et formas materiales, sicut assumpsit naturam; modo sic:

Stando lumine rationis difficilius videtur, quod lapis, leo etc. sint Deus, quam quod producant Angelus; sed quia natura de facto est Deus inferunt Theologi, quod quæris forma materialis potest esse Deus: ergo pariter a fortiori. — Ad 1º distinguo maiorem: supernaturalitas ut supernaturalitas formaliter. Dato: ut vitalitas nego, et ista minor, distinguenda est eadem solutione contra instantiam, probat etiam Dominus oppositis arguentis, et Dominus omnes, quod vitalitas visionis, nec inadæquate continetur in intellectu, sicut non continetur supernaturalitas formaliter ut talis.

Ad 2º, ista maior, nego minorem, imo et suppositum, nempe quod creatura sit causa, cuiuscumque efectus: dicere quod creatura cum Deo coniuncta, adæquat efectus efectus, est supponere quod creatura habet saltem incoative efectus efectus, in ordine ad illum producendum: hoc tamen, quod probari debet, ut verum sit creaturam coniunctam cum Deo talem efectum adequare. Ad 3º, supposita probabiliter sententia quam supponit, distinguo maiorem: difficilius videtur loquendo de possibili, transeat, loquendo pro ut res iacent de facto nego; propter rationem ipsius minoris.

Equidem si quia natura de facto est Deus inferunt Theologi, quod quæris natura potest esse Deus: ergo cum de facto lapis non producat Angelum, stando lumine rationis, pro ut res de facto iacent, difficilius videtur, lapidem posse producere Angelum quam posse esse Deum: item ista minor, nego a fortiori consequentiam, imo et suppositum, nempe quod lapis de facto producat Angelum, quod nisi supponatur, consequentia non infertur.

Obiicies 3º: D. Augustinus de Genesi ad literam, cap. 15º, qui postquam docuit rebus creatis divinæ virtutis agendi, (?) naturas diversas addit: super hunc autem motum cursumque rerum naturalem, potestas creatoris habet apud se, posse de his omnibus facere aliud, quam eadem seminales rationes habent.

Item D. Thomas de potentia Dei, q. 6ª articulo 2º, ad 12º, qui postquam alia dixit, satis clara, in favorem potentiæ obedientialis subdit: Unde nihil prohibet, quin natura creata, sit in potentia ad aliqua fienda per divinam potentiam, quæ inferior potentia, facere non potest, et ista vocatur potentia obedientialis, seu Deus quem, quælibet creatura obedit creatori. Item in 4º dist. 8ª q. 2ª ad 4º.

Allegantur etiam D. Chrysostomus, Gregorius et alii Doctores imo varia sacræ scripturæ testimonia, ex quibus omnibus constat aiunt adversarii, in qualibet creatura, dari potentiam obedientialem ad quodlibet. — Ceterum tamen, neque D. Augustinus; neque D. Thomas, neque alias authoritates, quas afferre solent, statuere quod cuicumque creaturæ inest virtus producendi quoscumque efectus; sed solum faciendi supernaturaliter plura, quæ naturaliter facere non posset ex defectu alterius conditionis, dispositionis, aut prærequisiti: sic intellectus, per habitum supernaturalem elevatus, visionem beatam producit.

Sic etiam terra, quæ naturaliter, non nisi verno tempore se se floribus variegare potest media bruma, speciali Dei providentia, inmirabiles plane erupit flores, quibus ad miraculum, usque depicta seu efrata est, miraculis undique clara imago Tutelaris nostræ purissimæ Virginis Mariæ Guadalupanæ.

Hic, similia, in meis possem exempla producere, quibus parco, ne floribus videar indulgere; cum ad alia propero, et tempus et materia operativa postulat. Adevertendum tamen est, quod plures authoritates, quæ in contrarium allegantur non, loquuntur de potentia obedientiali activa, sed passiva: imo et si loquantur de activa, supponunt in creaturis, virtutem, inchoatam ad efectus. Aiunt esse, Deus posse creaturis uti, ut instrumentis; eas quæ instrumenta esse, supponit habere suam instrumentalem virtutem.

# DISPUTATIO IVª DE CAUSA EFICIENTI increata.

Causa eficiens increata, idem est, ac Deus, quia dicitur causa prima, quia cuncta creata prœveniunt ab eo. Prima quia ipse a nulla alia causa est,